

hic, ne contra conscientiam suam agere cogatur, paciscitur cum alio iudice minus de honestate sollicito, ut hic loco sui ius dicat, ipse vicissim pro eo alia vice ius dicturus. Patet id non licere, neque licere illum simpliciter rogare, ut in causa ea iniusta ius dicere velit; quia res mala est, quae petitur.

Verum si obiectum pacti vel petitionis huiusmodi sit, ut abstrahi possit a malitia illius particularis iudicii, quod tantum permittatur, tunc profecto iusta existente causa pactio et rogatio licebit.

Certe licet iudici rogare superiorem ut ab eo onere iudicandi ea vice eximatur: etsi enim alii in locum eius sint successuri, id non illius deprecationi sed eorum malae voluntati erit tribuendum, qui potuissent similiter illud officium deprecari. Cf. Lehmkuhl vol. 4. n. 662.

Ceterum, ut bene uterque Auctor advertit, si qui faciunt id, quod diximus non licere, sint in bona fide, et monitio nihil sit profutura, nec scandalo sit locus, boni consulet Confessarius eos in bona fide relinquere.

## TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI

—

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem praecepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quae naturalis lex praescribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, caetera ad proximum referuntur.

### DE I. DECALOGI PRAECEPTO

*Ego sum Dominus Deus tuus...: non habebis Deos alienos. Exod. 20. 2.*

Hoc praeceptum, qua affirmativum, praescribit in primis actus Religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; qua negativum prohibet vitia Religioni opposita.

### CAPUT I.

#### DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS.

Actus praecipui Religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum, et sanctificatio quorundam dierum... De tribus ultimis dicetur in 2<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> praecepto. De sacrificio, in Tract. de *Eucharistia*. Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

#### ARTICULUS I. — DE ADORATIONE.

237. — Adoratio *latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob eius dignitatem, seu est actus quo quis propriam subiectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiae. Sic dicuntur aliquo modo adorari Principes et alii in dignitate constituti; item qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam eius excellentiam, supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus 1<sup>o</sup> *Latriae*, qui soli Deo exhiberi potest ob supremum eius dominium in omnes creaturas.



2<sup>o</sup> *Hyperduliae*, qui B. Mariae Virgini tribuitur.

3<sup>o</sup> *Duliae*, qui Angelis et aliis Sanctis convenit.

Cultus latriae Deo debetur 1<sup>o</sup> de iure naturali ob summam eius maiestatem ac supremum in creaturas dominium; 2<sup>o</sup> de iure divino positivo, ut evincitur ex innumeris sanctae Scripturae textibus, v. gr. *Matth.* 4. 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Cultus vel est directus vel relativus, prout vel Deo ipsi aut Sanctis defertur, vel imaginibus aut iis, quae cum illis specialem habent relationem.

*Adnotanda De Cultu et Reliquiis Sanctorum.*

258. — Homines qui e vita cesserunt cum sanctitatis fama, cultu *solemni et publico* honorari nequeunt, nisi in album Sanctorum vel Beatorum a Summo Pontifice adnumerati fuerint. Est autem cultus publicus, qui nomine Ecclesiae vel tanquam ab ea institutus exhibetur; privatus vero qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. — Itaque non licet Ecclesias aut altaria erigere in honorem Sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum: nec licet eos publice invocare in litiis, neque eorum Reliquias sive imagines publice venerandas exponere, vel in processibus circumferre. Licet tamen has imagines vel Reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari, etc., quia talis cultus est omnino privatus.

1<sup>o</sup> Reliquiae Sanctorum novae non sunt publicae venerationi exponendae, nisi Episcopus eas recognoverit. — *Ita Conc. Trid.* sess. 25. *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum.*

2<sup>o</sup> Non possunt apponi aureolae, seu radii imaginibus defunctorum, licet communiter habeantur ut Sancti, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; itemque nec lampades ad eorum sepulcra appendere licet. — *V. Casus*, n. 447.

ARTICULUS II. — DE ORATIONE.

259. — DEFINITIO. Oratio *latius* sumpta, est elevatio mentis ad Deum seu quivis pius animae affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. — *S. Thom.* 2. 2. qu. 83. art. 1. — *S. Lig.* in princ. huius Tract.

Divisio. Est 1<sup>o</sup> *mentalis* vel *vocalis*, prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur; — 2<sup>o</sup> *privata* vel *publica*, prout fit a persona privata et privato nomine, vel in communitate aut auctoritate et nomine Ecclesiae.

**Principia.** — I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate praeepti, imo probabilius necessitate medii. — 1<sup>o</sup> Evincitur ex innumeris

sanctae Scripturae locis, v. gr. *Matth.* 14. 38: *Vigilate et orate.* — *Luc.* 18. 1: *Oportet semper orare et non deficere.* — 2<sup>o</sup> Quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas: *Petite, et accipietis.* *Ioann.* 16. 24. — *S. Lig.* l. 3. n. 1.

II. Praeceptum orandi obligat frequenter, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanae imbecillitati impossibile est. — Verba igitur, *Oportet semper orare*, ex communi Doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore opportuno et nunquam cessandum ex taedio, torpore, animi deiectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio debitis praedita conditionibus efficaciam habet infallibilem ex Christi promissione. *Luc.* 11. 10: *Omnis qui petit, accipit.* etc. — *Ioann.* 16. 23: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

Conditiones autem requisitae sunt, ut 1<sup>o</sup> pie, devote et attente; — 2<sup>o</sup> cum perseverantia; — 3<sup>o</sup> cum humilitate et fiducia; — 4<sup>o</sup> de rebus necessariis vel utilibus.

Temporalia non debent postulari nisi cum conditione saltem implicita nempe quatenus ad animae salutem conferre possunt.

260. — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quandonam urgeat praeeptum orationis?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Urget *per se* frequenter, ita ut non possit omitti per notabile tempus sine peccato; ex communi sententia tempus mensis unius notabile reputatur. — Suarez, Lessius, etc. Rigidiores dicunt, sufficere hebdomadam ad gravem culpam. Laxiores vero annum integrum requirunt (1).

(1) Distinguendum est, quando ad orandum homo teneatur vi alterius praeepti, v. g. si opus sit ad tentationem vincendam, ad disponendum se ad iustificationem, etc., et quando ex solo iure naturae seu praeepto religionis obligetur.

Quoad primum ex communi doctrina peccat quisquis orandi necessitatem tunc advertens, negligit orationem; quae tamen omissio non habet malitiam distinctam ab eo peccato, in quod lapsus sit, idque ex generali principio de reatu omissi medii, quod necessarium fuerit ad peccatum aliquod cavendum.

Quoad alterum vero, cum DD. omnes ex iure naturae aliquando orandum esse affirmant, nihil tamen penes eos incertius, quam praeepti huius implendi tempus. Plerique fatentur ingenue tempus frequentiae determinari satis non posse, prout

etiam de praeeptis charitatis aut poenitentiae dici solet (Vid. Struggl, Tr. 5. q. 1. n. 23., qui hanc sententiam dicit *communem Theologorum*). — Quidam, praeter tempus primi usus rationis et articuli mortis, exigunt, ut saltem semel in anno orandum sit. Ita cum aliis Salmanticenses (Tr. 21. cap. 9. n. 17.). Quidam obligationem hanc urgere opinantur singulis mensibus, nihil tamen *de levitate aut gravitate* huius obligationis addentes. Ita Bonacina (*De Hor. Can.* disp. 1. q. 2. p. 1. n. 12.), Suarez (*De Orat.* lib. 1. cap. 30. n. 16.), licet dubitanter loquatur (ait enim: *non permittenda dilatio unius anni, nec fortasse unius mensis*), et Lessius (*De Iust. et Iur.* lib. 2. cap. 37. n. 12.), qui tamen nec firmus in eo est, dum scribit, *ad mensem unum vel alterum*; et horum (Suarezii et Lessii) opinionem prae-



Caeterum Confessarius, ut habent Doctores, magis sollicitus esse debet in inculcanda orandi frequenter necessitate, quam in determinanda gravi omissae orationis culpa.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Urget *per accidens* 1<sup>o</sup> in gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit; 2<sup>o</sup> in manifesto mortis periculo; 3<sup>o</sup> in publicis calamitatibus; 4<sup>o</sup> quoties aliud praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. gr., si Sacramenta sint recipienda; 5<sup>o</sup> quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

261. — QUAER. 2<sup>o</sup> *An peccet qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

*Resp. Neg.* praecise *per se*, si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est, quae determinatas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. Quidam tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae et acediae culpam.

Caeterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas saepius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, alio modo, et sic orationis praecepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quae quotidie occurrunt, neglecta oratione in plura peccata labentur.

QUAER. 3<sup>o</sup> *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

*Resp.* *Per se* peccat venialiter, quoties sine iusta ratione voluntarie distrahitur, idque valet, etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. — Elbel, n. 419.

262. — QUAER. 4<sup>o</sup> *Pro quibus sit orandum?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Pro nobismetipsis (iusta 1<sup>am</sup> Charitatis regulam); 2<sup>o</sup> pro om-

dictis verbis conceptam *satis rationabilem* dixit Ioannes a S. Thoma (2. 2. q. 83. art. III. n. 6.). — Ulterius progressus hanc menstruam obligationem dixit *gravem* Palaus (Tr. 7. disp. 1. p. 8. n. 3.), cui male Ioannes a S. Thoma associarunt Salmanticenses (l. c.), et illum opinando (*autumarem*, ait) sequutus est Roncaglia (Tr. 7. q. 1. cap. 1. q. VII.); quamquam Palai opinio vix huc pertineat, cum de oratione *ad vincendas tentationes necessaria* expresse disserat. Quidam alii denique hoc praeceptum urgere dixerunt singulis hebdomadis, rati scilicet vix satisfieri praecepto audiendi Missam, nisi aliqua oratione addita, posse: quae opinio praeterquam ad rem non facit, quia de oratione, uti medio ad aliud praeceptum

servandum, disserit, communiter tum quoad se, tum quoad rationem allatam reiicitur. Concludamus huc revocando principium ab omnibus admissum, nempe non esse asserendam *gravem culpam aut obligationem*, nisi manifeste et evidens ratio id postulet; atqui eiusmodi rationem, quoad hebdomadarias aut menstruas obligationes graves, deesse manifeste patet, quippe quam videre nemo adhuc potuit. Adde et implexissimam deinde quaestionem, quid ad gravem culpam vitandam opus sit, sufficiatne semel dixisse: *Deus adiuva me*, aut quid aliud. Merito igitur A. monet, Confessarium magis inculcandae necessitati frequenter orandi, quam determinandae omissionis gravitati insistere debere.

nibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3<sup>o</sup> pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1<sup>o</sup> ex lege generali Charitatis; 2<sup>o</sup> ex verbis D. Pauli, 1. *Tim.* 2. 1: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus: etc...: nec excipiendi sunt inimici, ut patet ex verbis Christi, Matth. 5. 44: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (2).

QUAER. 5<sup>o</sup> *Quosnam praeter Deum orare possumus?*

*Resp.* Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram, Angelos, ut custodes hominum; omnes Sanctos et amicos Dei, ut intercessores nostros apud Ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et iuxta Less., Bellarm., Bonac., Elbel... idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem Sanctorum est de consilio, non vero de praecepto, cum Trid., sess. 25., dicat tantum *esse bonum et utile eos invocare*. Valde tamen salutis suae incuriosus videbitur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

## CAPUT II.

### DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Vitia Religioni opposita sunt 1<sup>o</sup> superstitio per excessum; 2<sup>o</sup> irreligiositas per defectum.

#### ARTICULUS I. — DE SUPERSTITIONE.

Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, quo vel vero Deo exhibetur cultus indebitus, vel creaturae cultus soli Deo debitus. — Ita communiter ex S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1. (1).

(2) Huic muneri pro omnibus orandi facit satis, qui licet inter orandum nullam aliorum memoriam adhibeat, tamen in precibus, quae non pro se tantum funduntur, cuiusmodi sunt *Oratio Dominica, Salutatio Angelica*, etc., neminem positive excludit.

(1) Ita S. Thomas: *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum; non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel*

*cui non debet, vel eo modo, quo non debet*. Porro sicut superstitio virtuti religionis opponitur *secundum excessum*, ita aliud vitium eidem virtuti opponitur *secundum defectum*, nempe irreligiositas, de qua Auctor in seq. articulo.

Superstitionem autem cultus *indebiti*, idest vero Deo praestiti, sed *eo modo quo non debet*, duplicem ita distinguunt DD., ut alia sit superstitio *cultus falsi*, alia *cultus superflui*: de quibus videsis S. Alphons. (lib. 3. n. 3.).